Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

talis parte altaris clauditur. ibi post tot annos immaculatum corpus a reverentissimis viris episcopis Elegio et Audberto transfertur sine ulla putredine. Ubi et recta fide petentibus multa illius clarescunt divinis virtutibus. Post discessum vero beati viri tempestas illa quam ille in spiritu previderat. ultramarinis seviebat in oris. Expulsis namque christianis in censu gentilium monasterium quod ibidem construxerat monachis distractis rebus omnibus spoliatum est. atque ipse abbas Ultanus supradicti viri frater sub custodia mortis ductus est. Nisi illum divina dextera nunciato adventu Annani regis paternis gentilibus ipse multorum servasset profectum. Monachis namque de captivitate redemptis. sanctisque inventis reliquiis sacris altaris ministerio et libris in navi onustatis. ipse per mare Francorum petivit terras. atque in eodem loco quo beatus Furseus sepultus est a supradicto Archinoaldo patricio susceptus est. Qui non multo postea patricia despiciens peregrinos pulsus est. Sed a religiosissima dei famula Doberta cognomine Itane. eiusque filia sacra virgine honorifice susceptus est. Ipsi etiam Grimaldo preside eosdem sanctos congratulante viros. atque in villa que ex nomine decurrentis fluminis nuncupatur Ebrona ordinante monasterium religiosorum construxere monachorum. predicta dei famula Itane necessaria ministrante. Contigit hic preterea predicta dei famula multis elemosinarum fructibus per diversa loca dispensatis. multis pauperibus consultis. multis etiam peregrinis cum omni humanitate susceptis. esurientes reficiens. algidos vestiens. tectum hospitibus prebens. immissaque munera divinis ministeriis exhibens. sacrarumque virginum agmina que supradicta mobilia in domino confirmans. ad superna commigravit regna.

Vir domini Foillanus de quo superius commemoravimus pro utilitate gregis sibi commissi iter aggrediens die vigiliarum sanctissimi martyris Quintini missarum sollempnia in Nivialensi ecclesia decantans. senioribus supplicans fratribus. ut corpus illius sicubi inter vias mors ei contigisset. fratribus semper cum eo laborantibus caritatis intuitu redderetur. vale dicens omnibus profectus est. Eademque nocte a quodam iniquo homine per devia ductus. atque in cuiusdam vulgo inhabitationem iniquorum hominum domicilium intrantes. cum fallaci suscepti sunt humanitate. Comites vero beati viri de habitatoribus suscepti noctem ducere pervigilem. Finitis vero matutinis laudibus allocutus blande incolas. cum se sopori post orationem dedisset. suos alloquens. ne de ullo hominum malum suspicarentur. surrexerunt viri diabolici cum aliis secum aliunde adductis sanctum virum interfecerunt. comitesque illius pariter necaverunt. Sed beato viro deo gratias clamante. ne vox illius diutius audiretur. venerandum illi amputaverunt caput. atque in proximo tecto ubi grex porcorum commanebat facta fossa. nuda ac dilacerata impii sepelierunt .iiii. corpora in unum. et sic res multis latuit diebus. quia eorum vestimenta et caballos. et quicquid habuerunt foras transmittentes longe habitantibus vendiderunt. Sed cum ad dictum placitum minime venisset. commoti fratres caritatis sollicitudine eum usque denunciantes quesierunt. Sed predicta virgo ieiuniis et obsecrationibus domino supplicans. missis usque per vicina loca cursoribus. tenebrarum negotium in lucem perduxit clarum. et sic. lxxma vii. die obitus illius. sacrata inventa sunt corpora. Hoc numero mistice in multis divine scripture locis adnotante ipso die inventa. quo beatus Furseus frater eius ad dominum de corpore migravit. Suscepta vero corpora cum cereis et facellarum luminibus cum antiphonis et canticis spiritalibus a clero et populo per totam noctem ad monasterium Nivialcha huius honorifice deportata sunt. Cumque ibidem vir venerabilis Dido Pictaviensis episcopus. atque illustris vir Grimaldus maior domus locorum sanctorum visitandi gratia ipso advenientes die. utrique eorum de advenientibus a deo ammonentur corporibus. Nam quiescens episcopus post matutinas laudes interrogatur in somnis quid agere iuberetur. tanto in occursum beati debere properare. Qui ilico surgens et quid ageret ministrum inquirens. audivit ab eo quod veneranda adessent corpora. Moxque vir venerabilis in occursum pergens multis profusis lacrimis oratione completa. laude a deo exorsus. venerandi corporis onus una cum reverentissimo supradicto patricio suscipiens. propriis devexerunt humeris. atque in monasterio sanctarum virginum suscepti. reliquiis ab eo sumptis venerantur cum psalmis et canticis. ad proprium deportatum est monasterium. Viris undique nobilibus in obviam concurrentibus. ac propriis gestantibus humeris cum omni honore in loco sepultus est celeberrimo. ubi prestantur beneficia orationum adiuvante domino nostro Iesu Christo. qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum amen.

.xvi. kl. feb.

Incipit prologus in vitam Antonii. heremite.

[O]ptimum fratres inivistis certaminibus aut equare Egypti monachos. aut superare nitentes virtutis instantia. Etenim apud vos iam plurima sunt monasteria. Monachorumque nomen est celebre. Et hac voluntate iuste quisque mirabitur. orationibusque vobis optatum distribuet effectum. Quoniam igitur exegistis a me ut vobis scriberem de conversatione beati Antonii. volentibus discere quemadmodum cepit. quive fuit ante sanctum propositum. qualem etiam habuerit terminum vite. et si vera sint ea que de ipso fama dispersit. ut ad eius emulationem atque exemplum vos instituere possitis. magna cum leticia suscepi vestre caritatis imperium. Etenim mihi ingens lucrum est atque utilitas. Hi ipsum quod recordor Antonium. et vos cum ammiratione audientes. scio eius propositum cupere sectari. Perfecta est siquidem ad virtutem gradum. Antonium scire qui fuit. Ergo ut breviter dicam de omnibus que de eo referunt. et sermo iactavit. credite. et minima vos estimate audisse de maximis. quia non ambigo nec eos omnia potuisse agnoscere. cum et ego exhortatu a vobis quantumcumque per epistolam significavero. non equalia meritis narratus sim. Sed vos omnes hinc navigantes studiose percontamini. quo singulis que noverint referentibus. congrua dignaque tanti nominis relatio compleatur. Disponebam itaque post lectionem litterarum vestrarum aliquos monachos ad me invitare. et maxime eos qui ad eum crebro ire consueverant. ut plenius aliquid addiscens. munera vobis maiora transmitterem. Sed quoniam et navigationis tempora labebantur. et litterarum portitor vehementissime festinabat. idcirco ea que ipse noveram. Frequenter enim eum visitavi. et que ab eo didici. qui ad prebenda ei aquam non paululum temporis cum eo feci. dilectioni vestre indicare properavi. utrinque curam veritatis habens. ut neque plus aliquis audiens miraculorum congesti